

assumendi sunt proponi debent publice in ecclesia; ut de illorum natalibus, ætate, moribus et vita inquiratur. (Conc. Trid., sess. xxiii, cap. v, *de Reform.*) Hæc publicatio fieri debet in loco natalitatis ordinandorum; et si sedem mutaverint, in loco ubi suum domicilium habent, servatis regulis Episcoporum auctoritate constitutis.

352. — III. Constitutione insuper Innocentii XII, *Speculatores*, præcipitur ut ordinans suo ordinatori exhibeat litteras testimoniales in multiplici casu: 1° si ordinans sit Episcopus originis, sed ordinandus extra locum originis tanto tempore moram traxerit, ut potuerit ibi canonico impedimento irretiri; 2° si ordinans sit Episcopus domicilii, quando ordinandus a loco originis discesserit ea ætate qua potuerit alicui impedimento obnoxius esse; 3° demum si ordinans sit Episcopus ratione beneficii vel familiæ, ad præscriptum concilii Tridentini, ordinandus muniri debet litteris testimonialibus tum Episcopi originis, tum Episcopi domicilii, ut supra.

ARTICULUS III. — DE OBLIGATIONIBUS CLERICORUM.

353. — Ordo clericalis gravissimum, at simul sanctissimum onus imponit singulis, præsertim qui sacris ordinibus initiati sunt, vitam agendi sua vocatione dignam, ut non minus præfulgeant morum puritate inter cæteros Christifideles, quam dignitate status præminent. Quo certius hunc finem assequantur, Ecclesia multas leges sancivit, quarum aliæ communes sunt omnibus clericis, aliæ autem ad varia officia attinent. De prioribus solummodo in hoc articulo dicemus; quod enim ad onera officiorum atinet, alibi exponitur, ubi nimirum de jurisdictione et de beneficiis.

Omnibus promotis ad sacros ordines præceptum est ut orationi publicæ vacent, castitatem servent, et deferant habitum clericalem; iisdem clericis leges canonicæ interdixerunt quæ vel a suo officio eos retraherent, vel periculo sui status expo-

nerent, uti sunt: cohabitatio cum mulieribus, noxia quædam oblectamenta, sæcularia negotia, de quibus nunc sigillatim deserendum est.

§ 1. *De recitatione divini officii.*

354. — Quæstionis solutionem remittimus ad tertiam partem *Prælectionum*, in qua dicendum erit *de Officio divino*, ut cunctæ quæstiones historicæ, doctrinales ac practicæ quæ ad officium publicum referuntur et sunt inter se connexæ, simul pertractentur.

§ 2. *De castitate servanda.*

355. — *Qui clerici teneantur continentiam servare, et undenam oriatur hæc obligatio?*

Omnes clerici majoribus ordinibus initiati, in Ecclesia Latina, tenentur perpetuam continentiam servare, adeo ut nec post susceptum ordinem matrimonium valide contrahere, nec matrimonio ante ordinationem contracto uti licite possint.

Concilium Tridentinum anathemate percutit illos qui dixerint « clericos in sacris ordinibus constitutos... posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse non obstante « lege ecclesiastica vel voto. » (Sess. xxiv, can. 9¹.) Ut vero plenior solutio detur quæstionis propositæ, expedit nonnulla notare de origine, universalitate et natura legis; et de libertate morali qua clerici debent sacros ordines suscipere, ut lege teneantur.

I. Hæc disciplina, quatenus ad Episcopos, presbyteros et dia-

¹ Cf. *Distinctiones* xxvii, xxviii, xxxii, decreti Gratiani; — Thomassin, *Vetus et Nova Ecclesiæ Disciplina*, part. I, lib. II, cap. lx, et seq. ad lxxvi.

conos atinet, a primis sæculis venit. Testes habemus Patres concilii II Carthaginensis (an. 590) : « Placuit et concedet sacrosanctos antistites, et Dei sacerdotes, necnon et levitas, vel qui sacramentis divinis inserviunt, continentes esse in omnibus, ut quod Apostoli docuerunt, et ipsa antiquitas servavit, nos quoque custodiamus. » Non videtur quidem legem generalem ab initiis Ecclesiæ indictam clericis, et fatendum in nonnullis provinciis non fuisse ipsis vetitum cohabitare cum uxoribus quas antea duxerant; verum duo certa habemus: 1º a temporibus apostolicis consuetudinem obtinuisse in Ecclesia moribusque invaluisse, ut promoti ad sacros ordines abstererent ab uxoribus quas legitimo matrimonio sibi conjunxerant, etiam quando licitum erat cum eis cohabitare; 2º iisdem clericis ubique interdictum fuisse nuptias contrahere post ordinationem. Unum solummodo concilium novimus, Ancyranum nempe, quod permisit diaconis uxores accipere, si in ipsa ordinatione hanc facultatem sibi reservaverint: in eo recessit a disciplina aliorum conciliorum.

Subdiaconos, quamvis non fuerint ab exordio annumerati inter clericos majores, lege continentiae additi suo tempore declarat S. Leo Magnus in epist. ad Anastasium: « Nec subdiaconis connubium carnale conceditur, ut et qui habent sint tanquam non habentes, et qui non habent permaneant singulares. Quod si in hoc ordine, qui quartus a capite est, dignum est custodiri, quanto magis in primo, vel secundo, tertio servandum est! » (Cap. *Omnium*, 1, dist. xxxii.) Successores S. Leonis summo studio invigilaverunt accuratiori observationi hujus legis, quæ, licet paulo tardius, in omnibus tandem ecclesiis prævaluit.

Multæ gravissimi momenti causæ Ecclesiam induxerunt ad constabiliendam disciplinam continentiae clericalis. 1º *Exemplum Christi et Apostolorum*. « Christus Virgo, ait S. Hieronymus, Virgo Maria, utriusque sexus virginitatem dedicaverunt. Apostoli, vel virgines, vel post nuptias continentes...

« assumpti in apostolatam, reliquerunt officium conjugale. » (*Contra Jovinianum*.) 2º *Necessitas clericos removendi a sollicitudinibus sæcularibus*, illosque servandi immunes a corruptione carnis, ut sanctius divina mysteria celebrent; qui enim cum uxore est, cogitat quæ sunt mundi et divisus est. 3º *Bonum Ecclesiæ*. Maxime refert ad ædificationem fidelium et sacri ministerii exercitium, ut clerici præbeant cunctis fidelibus exemplum abnegationis voluptatum carnis, quo efficacius praxim consiliorum evangelicorum commendent: utque toti sint impensi in sollicitudinem sui ministerii, ad procurandam salutem animarum.

356. — II. Probabile admodum est disciplinam cælibatus viguisse etiam a primæva ætate apud clericos orientales sicut apud occidentales; sensim tamen ab illius integritate adeo desciverant, ut illorum respectu lex temperanda demum visa fuerit. Si fides est historicis Græcis, Socrati et Sozomeno, in ipso concilio Nicæno, cum Episcopi canonem condere vellent quo clerici majores vetarentur commercium conjugale habere cum uxoribus sibi ante ordinationem conjunctis, decreto obstetit Paphnutius Episcopus Ægyptius, asserens hoc jugum non esse imponendum clericis et sacerdotibus; sufficere ut qui in clerum fuissent adscripti, juxta veterem Ecclesiæ traditionem jam amplius uxores non ducerent. Quidquid sit, nihil enim ea de re testatum reliquerunt acta concilii Nicæni, indubium est a tempore saltem concilii in *Trullo* seu *Quinisexti* (anno 692, can. 6 et 13), concessum fuisse apud Græcos, presbyteris et diaconis uti suis uxoribus ductis ante ordinationem, et constitutum ut non alii ad episcopatum promoverentur nisi qui cælibes vixissent, aut continentiam perpetuo servaturos sponderent. Ecclesia Romana canones Trullanos nunquam sua auctoritate sanxit; toleravit tamen, ob bonum pacis, temperamentum primævæ disciplinæ inductum. Latini idcirco nullam de cælibatu clericorum quæstionem cum Græcis moverunt in concilio Florentino, quando de regressu Græcorum ad unitatem actum fuit.

337. — III. Tolerantia qua usa est Ecclesia Latina respectu clericorum Ecclesiae orientalis, probat nec jure naturae, nec jure divino continentiam connecti ordinibus sacris; canonistae tenent communius illius obligationem fundari simul lege ecclesiastica et voto. De lege canonica res certissima est: ad votum quod attinet, Bonifacius VIII supponit illud intercedere saltem implicite in susceptione sacrorum ordinum, dum in cap. *Quod votum*, de Voto, lib. III, in vr^o, dicit: « Declaramus dum duximus illud solum votum dici debere solemne... quod solemnizatum fuerit per susceptionem ordinis sacri, aut per professionem expressam vel tacitam factam alicui de religionibus per Sedem Apostolicam approbatis. » Necessarium non est ut clerici ad subdiaconatum promovendi votum explicite emitant; sufficit si suam intentionem ad mentem Ecclesiae conformare intendant.

Clerici proinde qui, post susceptos sacros ordines, in peccatum luxuriae miserrime labuntur, duplicis criminis reos se constituunt; violant simul legem naturalem castitatis, et virtutem religionis, quod sacrilegium includit. Cum lex canonica castitatem servari praecipiat in ordine ad virtutem religionis, ut nempe clerici decenter sacris mysteriis inserviant, transgressio hujus disciplinae excusari non potest a reatu sacrilegii, etiamsi votum castitatis non emiserint.

338. — IV. Assertiones datae supponunt clericos spontanea voluntate sacros ordines suscepisse. Ecclesia nulli invito obligationem adeo gravem imponit; nullum in statum clericalem lege immutabili admittit per subdiaconatum, qui non libera voluntate consentiat. Si proinde quis invitatus sit sacris ordinibus, gravi metu ad subdiaconatum addictus, « ordinatio illicita reputatur, ait Benedictus XIV, nec ordinatus adstrictus manet continentiae voto quod annexum est ordini eidem collato. » (*De Synodo*, lib. XII, cap. IV, n^o 2.) Optio ipsi datur: aut abstineat ab exercitio ordinis sacri et redeat ad vitam saecularem; aut si, libertate recuperata, maluerit in sa-

crorum ordinum exercitio versari, sciat se in perpetuum lege continentiae obligari. Rationem affert Benedictus XIV quod « electio status a libera cujusque voluntate pendeat, et Altissimo nostra, non aliena, vota reddere teneamur. »

Olim moris erat in pluribus regionibus, ut coacte promoti subjicerentur legi castitatis, aliisque oneribus status clericalis, eadem ratione ac pueri quos parentes devoverant in infantili aetate coenobiis monasteriorum; at SS. Pontificum decretis et conciliorum « abrogatam fuisse hanc disciplinam, contra quam naturae et liberi arbitrii jura clamare videbantur, » animadvertit Benedictus XIV¹.

Attamen, ne sibi illudant in hac materia Clerici qui se coactos fuisse queruntur, expectare debent iudicium sui Episcopi, cujus est pronuntiare an defuerit libertas necessaria ad amplectendum statum clericalem et votendam castitatem. Quinimo Episcopus jure valet poenis canonicis illos coercere qui, non expectata sententia, statum clericalem deserunt, matrimoniumque ineunt; quia in foro externo praesumitur validitas actus in forma consueta consummati: aliunde quo magis res gesta refert ad ordinem publicum, eo minus licitum est privato praevinire iudicium ab auctoritate competenti ferendum.

Haec de foro externo dicta intelligantur: quod ad forum conscientiae attinet, etsi consultissimum sit, imo necessarium, ut sic ordinati expectent sententiam, aut dispensationem a S. Sede postulent, quam pluries concessam fuisse a S. Congregatione asserit S. Liguori, ubi metus manifeste probatus fuerit, arbitramur tamen cum eodem S. Liguori probabilius valere matrimonium ab iis contractum, antequam prolata sit sententia, si reapse ordinatio illorum libertate necessaria caruerit².

¹ Cf. Litteras Bened. XIV *Eo quamvis tempore*, § 20 et seq. quoad Graecos in aetate infantili ordinatos; et *Probe te meminisse*, an. 1741, § 4-8, de Parvulis judaeorum ad baptismum oblatis.

² S. Liguori, lib. VI, *de Ordine*, n^o 811.

§ 3. De vestitu clericorum et tonsura.

539. — 1^o *Utrum et quatenus clerici teneantur gestare vestitum proprium sui ordinis?*

I. Prioribus sæculis vestes civiles clericorum a communibus laicorum modestia tantummodo et simplicitate, non forma seu colore, distinguebantur; unde concilium Carthaginense IV, canone 45, nihil constituto de peculiari forma vestium, præcepit: « Ut clerici professionem suam in habitu et incessu probent, nec vestibus et calceamentis decorem quærant. » Ipsa temporum ratio requirebat ut clerici non secernerentur vestitu a laicis; cum, sævientibus persecutionibus, illos tyranni ad necem quærent, semetipsos morti objeissent signa clericatus præ se ferendo. Hunc morem, sedatis etiam procellis, aliquandiu viguisse innuit epistola S. Cælestini ad Episcopos Narbonensis et Viennensis provinciæ (ann. 428), in qua clericos qui more monachorum vestes proprias affectabant sic reprehendit: « Didicimus quosdam Domini sacerdotes superstitioso cultui potius inservire quam mentis vel fidei puritati. Amicti pallio et lumbis præcincti, credunt se scripturæ fidem, non per spiritum, sed per litteram completuros. . . *Discernendi a plebe vel cæteris sumus doctrina, non veste; mentis puritate, non cultu.* . . Non est imponendum oculis, sed mentibus infundenda præcepta. » A sæculo sexto clerici cæperunt vestes peculiare deferre quibus a laicis secernerentur, quod eruditi demonstrant multis argumentis, ex Epistolis S. Gregorii Magni, et ex aliis scriptis cœvis. Immutatio autem universalior evasit post barbarorum invasionem; cum enim barbari Romanum imperium invasissent, atque induxissent usum vestis brevioris, clerici Romanas vestes retinuerunt. « Nos non latet, ait Benedictus XIV, vestem oblongam et ad pedes usque defluentem clericis unice convenire, eamque consuetudinem ac disci-

« plinam tunc inductam fuisse, cum laici, post annum 1300, « depositis longis vestibus, breviores sumpserunt. . . *Cum vulgus hominum laicorum vestes longas abjecerit*, ait Thomassinus, « in hoc excubuit vigilantia Episcoporum, ut clericos compereret ab imitatione laicorum, et ad vestes eligendas adduceret potius dignitati suæ quam corporeæ discursationi accommodatas. . . Vestem talarem clericis aptissime convenire, « ex conciliis provincialibus ac diœcesanis Italiæ, Pontificum « decretis, et SS. Congregationum declarationibus, apertissime « comprobatur. » (*Institutio LXXI, n^o 2-8. Thomassin, disciplina...*, part. I^a, lib. II, cap. XLIII, et seq.⁴.)

340. — II. Clerici sacris ordinibus initiati, vel beneficiati, tenentur gestare habitum proprium sui status, juxta præscriptiones Episcoporum, seu locorum consuetudines, determinandum.

Probatur ex conciliorum decretis, nempe Viennensis et Tridentini. Conc. Viennense, cap. *Quoniam*, 2, DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM (Clement.), declarat illum « qui, abjectis vestibus proprio congruentibus ordini, alias sumere et in publico portare, rationabili causa cessante, præsumit, se illius ordinis prærogativa reddere indignum; » quapropter, illum, si beneficiatus sit, statuit suspensum fore per sex menses a perceptione fructuum beneficii; si autem non sit beneficiatus, illum pronuntiat inhabilem per idem tempus ad beneficium obtinendum. « *Etsi habitus non facit monachum*, ait Concilium Tridentinum, oportet tamen clericos vestes proprio congruentes ordini semper deferre, ut per decentiam habi-

⁴ Concilium Toletanum, an. 1524 habitum, statuit: « quod nullus clericus supertunicale. . . deferat ita longum, quod si ad pedes contingat, nullatenus tamen per terram trahatur, cum hæc non honestas, sed superfluitas et indecentia censeatur. » Cap. II. Labbe, tom. XI, col. 1714. Juxta communem disciplinam, non alios clericos uti syrmate (id est veste adeo diffusa quæ talos longe excedat) præter Cardinales, et Episcopos in propriis diœcesibus, annotat Riganti in tract. *de Protonotariis Apostolicis*, dissert. VIII. V. *Decreta authentica S. C. R.*, n^o 2666 et 2675.

« tus extrinseci, morum honestatem intrinsecam ostendant ;
 « tanta autem hodie aliquorum inolevit temeritas religionisque
 « contemptus, ut propriam dignitatem et honorem clericalem
 « parvipendentes, vestes etiam deferant publice laicales, pedes
 « in diversis ponentes, unum in divinis, alterum in carnalibus.
 « Propterea omnes ecclesiasticæ personæ, quantumcumque
 « exemptæ, quæ aut in sacris fuerint, aut officia aut beneficia
 « obtinuerint, si postquam ab Episcopo suo, etiam per edictum
 « publicum, moniti fuerint, honestum habitum clericalem, il-
 « lorum ordini et dignitati congruentem, et juxta ipsius Epis-
 « copi ordinationem et mandatum non detulerint, per suspen-
 « sionem ab ordinibus, ac officio, et beneficio, ac fructibus,
 « redditibus et proventibus ipsorum beneficiorum ; necnon si
 « semel correpti, denuo in hoc deliquerint, etiam per privatio-
 « nem officiorum et beneficiorum hujusmodi coerceri possint
 « et debeant : constitutionem Clementis V, in concilio Vien-
 « nensi editam, quæ incipit *Quoniam*, innovando et ampliando. »
 (Sess. XIV, cap. VI, *De Reform.*)

Decretum concilii ex integro retulimus, ut quisque perpendat gravitatem verborum quibus Patres Tridentini arguunt clericos qui deferunt vestes laicales ; hæc enim, simul ac pœnæ contra delinquentes latæ, evincunt peccare lethaliter clericos sacris ordinibus initiatos, aut beneficiatos qui sui ordinis vestes non deferunt. Quidam dixerunt peccatum non esse mortale, si desit contumacia aut contemptus, seu periculum scandali ; sed contrarium omnino tenendum est, ait sanctus Alph. de Liguori, quia ex concilio patet ipsam delationem habitus laicalis esse parvipensionem honoris clericalis ; ita communi-
 « ter... » (Lib. VI, n° 825.)

Excipiendum 1° si id rarissime fiat, ad breve tempus ; nisi tamen statutis diœcesanis pronuntietur pœna suspensionis in illos qui vel semel in publicum progredierentur cum veste laicali ; hæc enim pœna supponit sub gravi prohibitum esse ne clericus suum habitum deserat. Aliunde non excidant e memo-

ria verba concilii : *Oportet clericos vestes proprio ordini congruentes SEMPER deferre.*

Excipiendum 2° si id fiat rationabili causa, puta si urgeat periculum persecutionis in clericos, vel si clericus sit in itinere.

Exceptio data pro casu itineris non eo sensu intelligenda est, ut clerico liceat deferre vestes omnino laicales, vel per totum tempus quo remanebit extra locum domicilii, exuere habitum proprium sui ordinis ; sed eo solummodo sensu, ut fas sit vestes alias, modo modestas, deferre dum per vias publicas iter agit, vel dum transeundo aliquantisper in urbe moratur.

Dixi : *Clerici sacris initiati, aut beneficiati...* Alios non urgeat obligatio deducta ex jure communi. Episcopus posset præscribere clericis ordinum inferiorum ut habitum sui ordinis non deserant, quamdiu perseverant in statu clericali.

541. — II° *Quid canonibus præscriptum sit circa tonsuram clericalem ?*

I. Eadem fere ratione inducta fuit lex tonsuræ ac vestis clericalis. Per priora sæcula clericis solummodo præscriptum fuit modestos esse in capillitio, ac vetitum comam nutrire. Quid clericos deceat, sic describit sanctus Hieronymus, lib. XIII in Ezechielem, cap. XLIV : « Perspicue demonstratur, nec rasis capitibus, « sicut sacerdotes cultoresque Isidis atque Serapidis, nos esse « debere ; nec comam demittere, quod proprie luxuriosorum « est barbarorumque, sed ut honestus habitus sacerdotum facie « demonstraretur, nec calvitium novacula esse faciendum, nec « ita ad pressum tondendum caput, ut rasorum similes esse « videamur, sed in tantum capillos esse demittendos, ut operta « sit cutis. » Ad illam modestiam capillorum hortatur sanctus Paulus omnes fideles : *Vir si comam nutriat, ignominia est illi.* (I° ad Cor., cap. XI, 14.) Successu temporum, clerici æmulati sunt humilitatem monachorum, qui in signum abjectæ vanitatis sæcularis caput radere consueverant. Discrimen tamen inter utrosque fuit quod clerici servaverunt formam coronæ.

Hunc morem inductum ineunte sæculo VI existimant viri historiae ecclesiasticae periti, quod probant ex scriptis sancti Isidori Hispalensis, et sancti Gregorii Turonensis. Synodus Toletana, an. 633, can. 41, tonsuræ præceptum simul et formam complectitur: *Omnes clerici detonso superius capite toto, inferius solam circuli coronam relinquunt*¹. Hanc disciplinam ubique pluribus abhinc sæculis constitutam de novo sanxit concilium generale Lateranense sub Innocentio III celebratum: « Clerici tonsuram et coronam habeant congruentem. » (Cap. Clerici, 15, DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM, lib. III Decret.)

« Inter tonsuram et coronam intercedit discrimen, ait Benedictus XIV, et utrasque clericis gerendas Innocentius III, « his verbis indicit: *coronam et tonsuram habeant congruentem*. » (Inst. LXXI, n° 6.) Per tonsuram olim intelligebatur brevis capillorum; per coronam vero forma coronidis servata in modo capillos tendendi, quem indicat textus supra allatus concilii Toletani. Omnes qui Deo in statu clericali se devotebant, capillos defluentes in humerum deponebant, et præterea caput per modum coronæ radere tenebantur, juxta disciplinam usu invecam, conciliorumque decretis firmatam. Quanti hanc disciplinam fecerit Ecclesia, satis ostendit per plures canones quos sæpius innovavit. Statuitur in concilio Lateranensi v sub Leone X, sess. IX: « Clerici in sacris constituti barbam nec comam nutriant, sed tonsuram ferant; si quis contra fecerit, excommunicationem incurrat. » Decretum concilii Lateranensis iterum induxit Sixtus V per Const. *Sacrosanctum*, an. 1589.

542. — II. Obligatio deferendi coronam clericalem urget sub gravi, in eo sensu quod peccet mortaliter qui, nulla ratione seria excusante, per tempus notabile legi non satisfacit.

Gravitate obligationis desumimus 1° ex canonibus conciliorum, qui eodem modo præcipiunt clericis ut coronam

¹ Selvaggio, *Antiq. Christ. Inst.*, lib. I, part. II, cap. XII.

et tonsuram deferant, sicuti vestem suo ordini congruentem: porro, non est cur conijciamus leges toties latas ac innovatas a conciliis generalibus, a SS. Pontificibus, et a conciliis provincialibus, in materia quæ refert ad honorem et decentiam status clericalis, non obligare sub gravi. 2° *Ex fine legis*, qui fuit separare signo externo clericos a laicis, et eis in memoriam eodem signo revocare obligationes sui status, quod est certe magni momenti sub omni respectu. 3° *Ex Doctorum sententiis*, qui commuiter interpretantur titulum DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM eodem sensu, nec distinguunt inter tonsuram et habitum clericalem, sed utrumque simul eodem jure sub gravi præceptum dicunt¹. « Les casuistes disent tous, unanimement, « ait collator Lingonensis, qu'un ecclésiastique qui est dans « les ordres sacrés, ou qui a un bénéfice, pèche mortellement « lorsqu'il n'a pas la tonsure ou l'habit long. » (Tom. II, conf. xxx.) D. Emery hæc asseruit in notis mss. de re disciplinari: « Je ne crains pas de décider qu'un clerc qui volontairement et habituellement ne porterait pas la tonsure, pécherait mortellement. » Escobar ipse, qui in suspicionem non venit nimie severitatis, notat *inter gravia crimina clerici...* si despexerit *tonsuram præferre clericalem*. (*Theol. mor.*, tract. II, *Examen*, III, cap. IV. *Peccata mortalia ecclesiasticorum*, n° 4.)

Canonistæ animadvertunt non esse pœnas jure statutas in clericis qui tonsuram non habent, si aliunde habitum clericalem gessent; at simul dicunt eosdem clericos posse ab Episcopo compelli per censuras ad ferendum tonsuram, aut *arbitrio judicis puniri*, ut loquitur Schmalzgrueber, n° 56. — Aliud discrimen assignant inter habitum clericalem et tonsuram « facilius « mortaliter peccari non deferendo habitum quam coronam; »

¹ Ferraris, v° *Clericus*, art. I, n° 25-25; — Schmalzgrueber, n° 31; — Reiffenstuel, n° 65, 64; — Pirhing, n° 17; — S. Alph. de Liguori, *Theol. mor.*, lib. VI, n° 826; — *Conférences d'Angers* sur les devoirs des États, II° conf., IV° question; — Rituale Lingonense, n° 605.

quia nempe clericus peccat graviter si identidem prodeat in locum publicum cum veste laicali, dum non arguitur peccati lethalis si per unum aut alterum mensem coronam non deferat, etiamsi nullum vestigium de ea appareat, ut nonnulli dixerunt, quorum opinionem refert, nec improbat S. Liguori. Non aliter legem interpretabatur D. Emery, cujus verba mox protulimus.

Hoc admissio moderamine, stat communissima Theologorum et canonistarum sententia, clericos beneficiarios, aut in sacris ordinibus constitutos, teneri sub gravi habere tonsuram. Nihil contra regulam facit praxis quorundam presbyterorum qui tonsuram ferre negligunt et se securos nihilominus coram Deo reputant. An ob peculiarem ac sibi personalem rationem eximantur a jure communi, ipsi viderint, horum judices non sumus; sed quivis disciplinæ canonicæ amans et vera juris principia callens, fatebitur praxim non ferendi tonsuram esse sacris canonibus adversam, et statuta reclamare contra abusum qui in quibusdam forte civitatibus irreperint.

§ 4. — *De vitanda cohabitatione cum mulieribus.*

343. — Concilium Nicænum, canone 5^o, interdixit clericis habere « subintroductam mulierem, nisi aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas quæ suspicionem effugiunt. » Concilium Carthaginense II adjunxit filias fratrum vel sororum, et cæteras omnes quæ ex domestica necessitate, etiam antequam ordinarentur clerici, jam cum eis habitabant. (Cap. *Cum omnibus*, 27, dist. LXXXI^a.) Plures per decursum temporum editi sunt canones quibus omnis cohabitatione cum mulieribus, ne excepta quidem matre, interdiceretur; sed Innocentius III hanc nimiam severitatem temperavit per Decretalem *A nobis*, 9, DE COHABITATIONE CLERICORUM ET MULIERUM, in qua statuit : « Cum clericis non permittas mulierculas

« habitare, nisi forte de illis personis existant in quibus naturale « fœdus nihil permittit sævi criminis suspicari. »

En principium generale : canones vetant ne clerici apud se detineant fœminas de quibus suspicio esse possit. Quænam mulieres vi hujus principii removeantur, leges generales, praxis et statuta locorum præfinit, scilicet : 1^o fœminæ quæ mala fama notantur, aut quæ sua levitate ac agendi ratione dant locum scandalo fidelium; 2^o omnes quæ non attingunt ætatem propectam statutis determinatam, præter cognatas in primo et secundo gradu.

De mulieribus affinibus mentio non fit in decretis conciliorum. Disciplina severior fuit circa illas, quia magis urget periculum cum affinibus quam cum consanguineis. Sunt provincie in quibus permittitur clericis habitare cum noverca, nuru, uxore fratris defuncti; eo sensu Benedictus XIV statuta ediderat, dum esset Archiepiscopus Bononiensis (*Inst.* LXXXII et LXXXIII). In aliis regionibus hæc cohabitatio non conceditur, et disciplina remansit intra limites præfixos a concilio Nicæno. Dimittitur prudenti arbitrio Episcopi ut statuatur regulas in sua diœcesi servandas; insuper potest sibi, aut aliis quibus id commiserit, reservare judicandum an expediat clericum cohabitare cum tali aliave persona, ratione habita circumstantiarum¹.

344. — II. Canones non indixerunt pœnas contra clericos qui legem de cohabitatione vetita transgrediuntur. Ubi vero legitima est suspicio, leges ecclesiasticæ volunt ut Episcopus in violatores canonum animadvertat. Concilium Tridentinum statuit omnes, qui, a superioribus moniti, concubinas aut alias mulieres de quibus suspicio haberi possit, in domo vel extra domum detinent, aut cum illis habent consuetudinem, ipso

¹ Clerici quibus conceditur cohabitare cum cognatis et affinibus, possunt habitare in eadem domo cum eis quæ de hujusmodi conjunctarum mulierum familia sunt, uti famulis et pedisequis. Schmalzgrueber, in tit. II DE COHABITATIONE, n^o 1.

facto privandos fore tertia parte fructuum beneficii aut officii. Si in eodem delicto cum eadem vel alia perseverent, licet secundo moniti, suspenduntur ab ipsa beneficiorum seu officiorum administratione. Quod si spreta monitione, mulieres non expellant, aut cum illis versentur, privari debent suis beneficiis, et inhabiles declarari ad possidenda alia, donec emendationem ostendant. Tandem synodus voluit eum, qui postquam mulierem dimiserit, iterum sibi eam adjungere præsumeret, gladio excommunicationis plecti; et clericos beneficia non habentes puniri ab Episcopo juxta delicti et contumaciæ perseverantiam et qualitatem. (Sess. xxv, cap. xiv.)

Nota. 1° Decretum Tridentinum attingit omnes clericos qui in sua domo detinent mulieres suspectas, aut cum eis versantur contra vetitum, etiamsi cum illis non peccaverint; quia adest, in casibus jure prævisis, præsumptio canonica concubinitus.

2° Clerici non incurrunt pœnas indictas a concilio, nisi præcesserit monitio. Si clericus non detineat mulierem in sua domo, Episcopus non debet usque ad privationem officii procedere, nisi adsint graves præsumptiones.

3° Episcopis datur facultas ut in hac materia, « sine strepitu et figura judicii, et sola facti veritate inspecta, procedere possint. » Possunt igitur inferre pœnas indictas concilio Tridentino, servando formas judicii summarii. Possunt insuper procedere ex *informata conscientia*, si intendant tantummodo ferre suspensionem ad tempus. Si de aliis pœnis agitur quæ non excedunt limites correctionis paternæ, res dimittitur prudentiæ Episcopi.

§ 5. — *De quibusdam oblectamentis clerico interdictis.*

Præter cohabitationem mulierum quæ periculum peccandi contra castitatem inducit, alia sunt quibus Ecclesia clericis interdicat, ne mores enerventur vel ut occasio scandali removeatur. Hæc concilium Tridentinum in cap. xii sessionis xxiv indixit :

« Ab illicitis venationibus, aucupiis, choreis, tabernis lusibusque abstineant. » Singula paucis explicare necesse est ad mentem veterum canonum, quos innovavit synodus Tridentina.

345. — 1° *Quali venatione interdicitur clericis?*

Canones venatione idcirco clericis interdiciunt quod, 1° fiat plerumque cum tumultu qui dissolvit ac dehonestat clericalem modestiam; 2° immitis illa effusio sanguinis animalium habeat quamdam speciem belli male convenientem cum mansuetudine ecclesiastica; 3° tandem animus clericorum nimis distrahatur a divinis officiis aliisque spiritualibus occupationibus sui status, præsertim si venatio sit frequens.

Ut statuatur quæ sit venatio vetita clericis, distinctione opus est.

I. Omnes fatentur venationem clamorosa, ut aiunt, quæ olim fiebat magno strepitu cum falconibus et accipitribus, prohiberi sacris canonibus (Cap. *Episcopum*, 1, DE CLERIC. VENATORE); eodem sensu caput subsequens *Omnibus servis Dei*, 2, prohibet ne clerici per sylvas vagentur cum canibus ad venandum, et accipitres seu falcones habere interdixit.

Peccaret igitur graviter clericus sacris ordinibus initiatus qui frequenter huic venationi vacaret. Ita tenent canonistæ, et merito id concludunt e textu juris *Episcopum*, qui comminatur privationem a communione per tres menses Episcopo qui in hac voluptate diutius detentus fuerit; item sacerdoti per duos menses; diaconus vero obnoxius est suspensioni ab omni officio, nisi dicere malueris, cum annotatore collectionis P. Hardouin, diaconum uno mense suspensum fore, ut sit aliqua analogia inter pœnas quibus Episcopus, presbyter et diaconus subduntur. Non designatur subdiaconus, forte quia tunc temporis subdiaconatus non numerabatur inter sacros ordines. « Minoristæ, ait « Ferraris, in eo capite non comprehenduntur: essent tamen arbitrio judicis plectendi, et ideo laudantur illi Ordinarii qui, sub « determinatis et arbitrariis pœnis, interdiciunt omnibus suis « clericis hujusmodi venationem et delationem armorum. » *Clericus*, art. vi, n^o 51-56.